

2000-03-20- SS Ioannes Paulus II - Epistola 'Fratri Nostro Georgio Arturo Cardinali Medina Estévez'

LETTERA DI GIOVANNI PAOLO II AL CARDINALE MEDINA ESTÉVEZ NOMINATO SUO INVIATO SPECIALE AL CONGRESSO EUCARISTICO NAZIONALE DEL MESSICO

Venerabili Fratri Nostro Georgio Arturo S.R.E. Cardinali Medina Estévez Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum Praefecto

Augustissimum Corporis Christi mysterium, ubique terrarum cunctas apud Ecclesias conspicuum usque obtinere locum solet. Ex eucharistico enim sacramento, salienti quasi e fonte, lato patente gremio, spiritalis salubritas beneficiorumque Domini copia affatim manant ac defluunt. Fideles autem ad caeleste convivium accedentes, supernis praesidiis roborati, suam operam in cotidianis officiis sustinendis fortius studiosiusque agere valent.

Probando de consilio novimus Congressum Nationalem Mexici Eucharisticum, Mexicana ipsa in urbe, nominatim celebrata Guadalupensi in Basilica, V-VII diebus mensis Maii, futurum. Magno iam praeferente Iubilaeo, fideles turmatim venturos arbitramur, Corporis et Sanguinis Christi mysterium ut pientissime, quemadmodum decet, colant et venerentur.

Cupimus et Nos pietatis hae testificationes ut confirmentur et fides roboretur, quo latius pleniusque Salvatoris hodierni homines fruuntur salute et ipsi hoc divino de Sacramento uberrimos capiant fructus. Sacrum namque hoc convivium plurimum affert efficacitatis et ad maiora patranda usque compellit.

Itaque ut celebratio haec clarius peragatur et aspectabilius, congrua iustaque Fratribus Mexicanis petentibus Episcopis, ad te Venerabilis Frater Noster, cogitationem Nostram admovimus, qui aptissimus praestabilisque visus es ad ministerium hoc sustinendum et insigniter explendum. Fraternali ideo in te benevolentiam declarantes, temet **MISSUM EXTRAORDINARIUM** constituimus et nominamus ad Congressum Mexicanae Nationis Eucharisticum celebrandum. Verba Nostra transmittenda curabis et cohortationem ad Eucharistiae vehementiorem cultum itemque omnibus participibus benevolentiam Nostram significabis, opifera intercedente Beata Guadalupensi Virgine Maria. Benedictionem demum Apostolicam Nostro nomine Nostraque auctoritate omnibus participibus largiaris copiose velimus, superna adiumenta nuntiantem et feliciora tempora.

Ex Aedibus Vaticanis die XX mensis Martii, anno MM, Pontificatus Nostri altero et vicesimo.